

3047

C O D I C E S

3048

con Univ. germ. T. XXXIV. ubi et reliqua ejus Opera musica enumerantur. Nostrum in alterius cujusdam Aulae usum elaboratum fuisse evincunt Sacra *Dresdae* ea tempestate jam mutata. In *Petrarchae* Poemation (*Sonetto*) quod incipit: *O Passi sparsi, o pensieri uaghi e pronti &c.* Cantum quendam tunc celebrem compositum fuisse, cujus thema *Scandellus* hic persecutus fuerit, conjicio.

DCCCXXXVIII.

- 2 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 71. Fol. max. splendide exaratus, literis initialibus xylographicis impressis, magnam partem miniatis et SS. imagines referentibus ornatus, et e *Fuggeriana* in Caesaream Bibliothecam, ut videtur, translatus hoc titulo: *Officium Misse Nuptiale Illustri et Generoso Domino, D. Octaviano Secundo Fuggero, Baroni in Kyrchberg et Weissenborn, a Fratre Joanne Tornario SS. Vdalrici et Affre Conuentus Monacho, gratulationis ergo scriptum et dedicatum. 1579.* Celebraverat *Octavianus Rudolpho II.* a consil. et urbis *Augustanae* Praefectus nuptias cum *Maria Jacobe Johannis Fuggeri* filia, ad quas illustrandas *Musurgi* sequentes conspiravere: *Introitus. Deus Israel conjungat vos. Quinque vocum. Auth: Jacobo de Kerle.* Folior. 6. *Missa quatuor Vocum auth: Orlando di Lasso.* Folior. 30. *Nuptiae factae sunt &c. Sex Vocum Authore Orlando di Lasso.*

Folior. 17. *Domine deus patrum nostrorum. Sex Vocum Authore Melchiore Schrammio.* Folior. 15. Maximam hos inter famam adeptus est *Orlandus di Lasso* seculi sui *Orpheus* dictus, qui peragrata *Italia, Anglia* et *Gallia* tandem choro Musicorum *Alberti Ducis Bav.* praefectus *Monachii* obiit 1593. V. *Foppens Bibl. Belg. T. II.* p. 934. De artis musicae Augustae Vind. ea aetate fortuna confer *Pauli a Stetten jun. Kunst-Gewerb- und Handwerksgecb. der Reichsstadt Augsb. ibid. 1779.* p. 521. 8.

DCCCXXXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. 9 XVII. Folior. 18. f. max. continet Psalmum Davidis quinquagesimum, qui incipit: *Miserere mei Deus &c.* musicis modis a *D. Ferdinando III.* Rom. Imp. adstrictum, eidemque a *Georgio Moser* calligrafo musico, seu, ut ipse se vocat, *Notista* oblatum, praetexta inscriptione et festiva hujus modi epistola: *Psalmus Miserere ab Auditoribus Augustis Davide Rege Israelis, & Ferdinando Tertio Imperatore Magno Deo decantatus. Miserere, canitur in Quadragesima, Auguste Caesar. Ego illud nunc affero pronus ad genua aduentantis M.^{tis} V.^{rae}; quia nisi venisset M.^{tas} V.^{ra}, Ego Quadragesimam, ante Quadragesimam habuissem. Nunc me ut spero, Miserere hoc à Quadragesima liberabit. Omnes Versus in hoc psalmo, summorum Musicorum venerabundo*

3049

LITURGICI.

3050

do iudicio, sunt pulcherrimè compositi, spirantque etiam in Musica Diuinum V.^{rae} M.^{tis} Ingenium; sed me humilem M.^{tis} V.^{rae} seruum præ reliquis delectat versus: Benigne fac Domine: hic enim quoties auditus Tantum auditui meo gaudium & lætitiã affert, ut ipsam Quadragesimam lætissimam faciat. Viue Magne Cæsar, & cum Tuo Dauide, Vince, Deo cane, & inter Victórias consenesce. Cæsar. M.^{tis} V.^{rae} humillimus seruus, & cliens: Georgius Moser Notista.

DCCCXLI.
Codex chartaceus lat. Sec. 6 XVI. Folior. 74. f. max. Continentur eo Threni five Lamentationes Jeremiae Prophetæ, quas Michael Echamer Variscus Augusti Pii Electoris Saxonie Musici chori collega musicis numeris quinque Vocum inclusit et D. Rudolpho II. Rom. Imp. præmissa 12. Distichor. Elegia dicavit. Iuvat inde excerpere, quæ ad perpetuam Austriorum Principum in Artem musicam propensionem contestandam faciunt:

Diue igitur salue Rudolphe Patrone canentum,
Munera et hæc clemens musica Cæsar habe.
Hæc Fernandus auus, Pater hæc et sumptibus ultro,
Et coluere animo Cæsar uterque pio.

Codicem eleganter scripsit Christianus Hollandus.

DCCCXLI.

452 Codex membraneus lat. Sec. partim XIV. partim XII. Folior. 40. 4. partim per duas columnas, partim lineis longis exaratus complectitur: I. Hymnos quatuor, quorum Primus, Ricmus Sancte dei genitricis, vulgo S. Casimiro

Casimiri IV. Regis Poloniae filio tributus, cujus vel ex hoc Codice esse nequit, qui multo ante pium hunc Iuvenem anno 1484. raptum scriptus est. Itaque certius ad Conradum Carthusiæ Gemnisenfis in Austria Priorem Caroli IV. Imp. aëvo refertur. Vide Cels. Gerberti T. II. de Cantu et Mus. sacra p. 27. Hymni initium:

Omni die. dic Marie. mea laudes anima &c.

Secundus, Alius ricbmus de corpore christi, 13. Stropharum, quarum prima:

Aue viuens hostia veritas et uita.
Per quam sacrificia cuncta sunt finita.
Per te stat ecclesia iugiter inuisa.

Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

Mm

For-